



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1601. usque ad annum 1605

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118790

§. 8. Reliqua ejusdem Pontificis decreta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67204)

facere conantur: omnis ut novitas suspecta, Sæc. XVII.
 ita talis mutatio nequit esse sine detrimen- A.C. 1602.
 to magno. Id fovet cantorum, & Eccle-
 siæ inservientium inobedientiam, & disci-
 plinæ solutionem, si unum & idem sit om-
 nium Ecclesiarum officium. Quot porro
 sumtus faciendi? rustici minime possunt
 in officio peragendo, quod tamen summe
 in pagis necessarium est, plebanos suos ad-
 juvare. Spiritus Sancti gratia factum, ut
 magnalia Dei omnibus linguis ubique perso-
 narent, idque argumentum est varietatis,
 ut in universo, ita in singulis corporis
 humani membris Deo placentis; Sancti
 Patres, qui sapientia, prudentia, virtute
 ac donis S. Spiritus præ hominibus hujus
 sæculi præcelluerunt, justis de causis sin-
 gula concesserunt singulis diocesis officia.
 Miratur Gallia suum Marcellum, sicuti
 miratur suum Silvestrum Roma, tali mu-
 tatione sectarii exultaturi sunt, quasi in
 errore aut inscitia hætenus in talis momenti
 re fuerint Patres Catholici, & ad defen-
 sionem piorum & Catholicorum id perti-
 net, qui scrupulo possent attineri de ipsa
 fide ac Religione, cujus consuetam profes-
 sionem nulla justa de causa immutatam vi-
 derent.

§. VIII.

Reliqua ejusdem Pontificis decreta.

Præ-

Sæc. XVII.
A. C. 1602.

Præterea idem Pontifex hoc anno die vigesima secunda Augusti statuit ut ad tollendum abufum, quo Canonici Congregationis S. Georgii in Alga Venetiarum in locis sacris publice solam nica alba induti comparere solebant, imposterum ubique togam cærulei coloris deferant. Die autem secunda Septembris edito diplomate Papa Frater Tertii Ordinis S. Francisci eorumque Superiores Provinciæ Dalmatiæ subiecit obedientiæ Vicarii & Visitatorum Generalium. Sequentis vero Mensis die decima quarta declarabat, quod ejusdem instituti Fratres reformati cum a nonnullis novæ Regulæ Professores, votique obedientiæ transgressores dicerentur, injuria fieret. Insuper Pontifex, ut literarum studia promoveret, die vigesima quinta Octobris edito decreto statuit, ut Ferrariensis Universitas jam anno millesimo ducentesimo vigesimo primo a Friderico II. Imperatore erecta omnibus Bononiensis Academiæ Privilegiis gaudeat, ac Lectores & Scholares a gabellis aliisque oneribus immunes sint. Sub idem tempus Calari Sardinia urbe innovata erant inter FF. Carmelitas & Ordinis de Mercede jam ante biennium sopita contentio, quam Pontifex die decima quinta Novembris dirimens declarabat, quod Carme-

Carmelitæ ubique ac in omnibus locis Sæc. XVII.
Fratres Redemptionis Captivorum præ- A. C. 1602.
cederent.

§. IX.

*Antonii Mariæ Salviati Cardinalis
mors.*

Hunc annum sibi funestum experie- *Ciacon. in*
batur Antonius Maria Salviatus pa- *vit. Gregor.*
tria Romanus, qui Patre Laurentio & *XIII.*
Matre Lucretia Medicea Leonis X. So-
rore die vigesima prima Januarii anno
Domini millesimo quingentesimo trige-
simo septimo primam lucem aspexit.
Adolescens adhuc erat, cum jamjam
morum integritate, & scientiarum ac
præcipue jurisprudentiæ laude magnam
sibi famam etiam apud externos Princi-
pes conciliaret, non modo a Galliarum
Rege ad Episcopatum S. Papuli, sed e-
tiam a Papa ad Tridentinam Synodum
expetitus: inde rediens sponte Ecclesiam
suam sat pinguem nulla pensione sibi
retenta dimisit, postea variis muneri-
bus, atque etiam ad Carolum IX. Fran-
ciæ Regem legatione decoratus, defun- *Petramell.*
cto Pio V. a Gregorio XIII. rursus in *in elog.*
Franciam mittitur, ubi sex annorum
spatio Catholicam Religionem depressa
hæreticorum audacia tam prospero suc-
cessu promoverat, ut idem Pontifex
Hist. Eccles. Tom. LIII. R illum